



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Salus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A **magnum** Lagi superstitio ex dæmonis apparitione, qui iusserat, ut apud Eustathium est, mitti navem, que appulit Phocidi, & accepto inde oraculo Sinopen accessit, indeque Jovis Serapidis simulachrum transtulit, quod quidem cujusnam esset materiæ discerni non poterat: nempe ut chaos ipsum, cujus symbolum erat, præ se ferret. Et quod illi simulacrum in templo Alexandria ita vastum erectum est, ut dextra unum parietem, alterum læva perfringeret, ex omnibus metallorum lignorumque generibus compositum ferebatur, ut nihil non complecteretur: quod terra vel proferat, vel intra viscera abditum occultarit.

Ue & apud Spartanos, Messenios, Boeotios.

LOCUPLETATIO. CAP. V.

EA autem potissimum de causa Serapis in cultu erat, quod persuasum mortalibus fuit, inde locupletiores divitiis obvenire. Ait enim Pfellus, dæmonas nobis sæpe divitiis polliceri. Porphyrius magnorum dæmonum principes Sarapin & Proserpinam agnoscit. Nam omnino qui apud Ægyptios Serapis, apud Græcos Pluto est. Pluto idem qui Divitiarum Deus. Hinc avarissima meretrix apud Catullum sollicita est, ut ad Serapin deferatur, cui preces alleget, divitiis & opes petitura: quod is dæmonum princeps locupletandis supplicibus dare operam, ejus superstitionis errore crederetur, atque ideo gestare calathum, de quo paulo post plura, unde bona hæc liberalissime depromerentur, nunc pauca hæc pro re sufficiat attigisse.

Plato h. v. Crætylo. To δὲ πλάττω vos ὀνομαζέμεν κατὰ τῆν τὴν πλάττω δόσιν.

LUCRUM. CAP. VI.

ESt & lucri signum caput, verum id apud conjectores: illi enim capitis magnitudinem insolitam, per nocturnam imaginem oblatam, divitiarum accessionem significare tradunt; propterea quod vulgo numi, ut apud Artemidorum est, Capita vocantur.

Plutonia vero nomen ob divitiarum largitionem. Idem Lucianus in Timone.

SALUS. CAP. VII.

REceptum etiam est apud omnes, ut caput pro salutis hieroglyphico ponatur, idque in extremo discrimine commendare, id adjuvare, id devovere. Hinc totiens apud Homerum ea loquendi figura, ἐπ' ὀδυσσῆϊ, κἀδὲν, ἐπ' εὐμοίῳ κἀδὲν. Hinc Tib. Gracchus cum salutem suam populo commendaret, manu capiti superposita ire perrexit in Capitolium, quod illi male vertit, interpretantibus inimicis, eum ei signo diadema sibi deposcere. Tale aliquid apud Aristophanem Acharnanibus legas, dicente Dicaopoli: *Et si non iusta profatus fuero, manu supra caput imposita, quæque universus approbet populus.* Sed & portenta huic subscribunt significationi, tacta siquidem de cælo Cæsarum æde, capita omnibus statuis simul dedicerunt, quo quidem ostento præmonstratum est Cæsarum progeniem unacum Nerone ejus gentis ultimo defecturam.

Artem. l. i. cap. 18. Sueton. in Galb. c. 11. Portenta ex manu capilli superposita

DOCTRINA IMPERIOVE PRÆSTANTES.

CAP. VIII.

Antiquum autem fuit institutum eos honore numismatum decorare, qui vel doctrina vel impetrio cæteris antecellerent. Quare Mitylenæi Sapphus imaginem numis impressere, Homerum Chii, auctore Strabone. Horum exemplum secuti Mantuani principes, Maronis sui speciem in numis aliquamdiu expressere, non immerito sibi alumno eo applaudentes, qui Venetiam universam sui nominis celebritate sempiternæ gloriæ commendavit. Plurimum vero Principum imagines proferturati per ejusmodi monumenta innotuere, neque numis tantum, verum etiam gemmis expressæ ut tot statuarum memoriam, quibus non suam tantum similitudinem humano habitu insignem esse voluerunt, verum etiam facies suas diis adscribi, utque ipsi eorum nominibus vocitari se jufferint, prætereamus. Longe illud simplicius, quod Octavianus Augustus numum cudit, in quo singula ex utraque facie capita, atque ea quidem pulcherrime elaborata, eorum alterius inscriptio est, **DIVOS JULIUS**, alterius, **AUGUSTUS DIVI F.** quam quidem inscriptionem multis aliis in monumentis usurpavit, ut in lapidibus, qui ruinarum injuriam effugerunt, passim Romæ legitur; cui ut adblandiretur Maro, Æneidos sexto, Divi eum genus appellavit; in Antiquissimis enim Romanæ Bibliothecæ codicibus habetur, **AUGUSTUS CÆSAR DIVI GENUS**. Idem cum Sphingem repudiasset, qua tabellas signare solitus erat, non sine multorum conviciis, qui ænigmata illum miltitare cavillabantur, Alexandri aliquamdiu imagine signavit, quoad sua demum uti collibuit cū

Ue Domitianus qui se Deum & dominum asserens, statuas aureas, ac argenteas sibi in Capitolio poni volebat. Sueton. in eod. cap. 17. Octavianus Augustus. Sueton. in Augusto cap. 50. Imago Alexandri.